



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiae. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

8. Baldvs vir catholicus legere potest calendaria prognostica, & alia hæreticorum scripta, modò fac. Fidem, & Papam non concernant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

VIII. Baldus Principi cuidam in Germaniâ à consilijs, & vir bonus delectatur lectione Calendariorum prognosticorum, nouorum ab Hæreticis impressorum & similium, quæ varios hominum ac rerum status concernunt, & subinde amare persiringunt; sed Religione tactus intelligere vult ex Confessario, an licet legere talia possit? Quaritur. Quid Confessarius respondeat?

Videtur nō posse. Quia in Indice libr. prohibit.  
reg. 2. universim Hæreticorū libri, etiam si de Religione non tractent, nō permittuntur, nisi Catholicā censurā sint legitimè approbati.

Resp. Baldum, secluso propriæ animæ, aliorumque salutis periculo, licet ea Calendaria, nova, ac Pasquillos legere posse, modò Sacra Fidei Catholicæ, & Summum Pontificem non concernant. Ita P. Tanner Tom. 4. D. 6. q. 10. n. 101. Ratio est. Tum quia prædicta nomine librorum non comprehenduntur, sicut neq; sub censura Bullæ Cœnæ brevis scriptura, oratio, concio, questio, epistola, annotatione &c. comprehenduntur, ut docent Sanchez L. 2. in Decal. c. 10. n. 29. Bonac. D. 2. de Cens. q. 5. pun. 4. n. 18. Palao Tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 5. & aliij. Tum quia lectionem talem communis usus ac consuetudo in Germaniâ tanquam licitam permituit; unde passim viti etiam timorati & Ecclesiastici absque scrupulo talia legunt.

Ex quo patet ad rationem in contrarium regula

regula enim illa in Germaniâ ob difficultatem, quam continet, contrario vnu elanguit, si etiam fuit vnuquam recepta, & vim habuit.

IX. Benno Civis Monacensis sub festa Pentecostes Oettingam Vet. Religionis causa prosectorus Confessionem ibi peccatorum suorum peregit. Confessarius illi pro satisfactione præcepit, ut in S. Ädiculari coram Imagine miraculosa B. V. recitaret vnum rosarium flexis genibus. Verum is nihil horum fecit, atque etiam domum reversus distulit eius pœnitentia executionem usque ad festum Portiunculæ, quo die denuò confessurus recitauit manè rosarium in Sacello domestico asidens in sellâ. Quæritur. Quomodo peccârit tam differendo, quām alio loco & situ, ac imperatum erat, pœnitentiam iniunctam exequendo?

Videtur mortaliter peccâsse, vt innuunt AA. passim; quia in re graui, & ad reconciliationem cum Deo ordinata intentionem Confessarij absque ullâ causâ distulit simul, & aliquatenus intermisit.

Resp. Bennonem non peccâsse, saltem graviter. Nam non peccauit differendo tam diu pœnitentiam; quia nullus obligatur confessionis præcepto statim ac peccat, sed potest differre confessionem per annum, Ergo simul poterit non tantum per duos vel tres menses, sed per integrum annum pœnitentiam à Confessario impositam differre, Ut cum Fernandez, Martin. de S. Iosepho, Escobar, & alijs

B 3 docet